

Dissertatio Academica
De
Habitu Virtutis
Comparando;
Cujus
Partem Priorem,

Conf. Facult. Phil. in Reg. Acad. Aboënsi,
Præside
M. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

Eloqu. Professore Reg. & Ord. R. Acad. Litt. Human.
Hist. & Antiquit. Membro,

Publicæ bonorum censuræ submittit

JOHANNES SELANDER,
Stip. Reg. Borea-Fenno.

In Audit. Maj. Die XVIII Martii MDCCCLXXXIX.
H. A. M. C.

Aboæ, Typis Frenckellianis.

Viro Consultissimo,
Dno JOSEPHO ÆIMELÆO,

Patrono Cauffarum, in Supremo quod Aboæ est Dicasterio
Regio, Dexterrimo, Euergetæ & Patrono jugiter colendo.

Plurima illa insigniaque beneficia, quibus me cumulasti,
PATRONE OPTIME, tenerum apud me grati atque venerabundū
animi sensum dudum pepererunt; qui quamvis erumpere sem-
per gestiens, nullam tamen hacenus sese prodendi invenit
occasionem. Quo latior hanc arripio, quam præsentes pagel-
læ mihi exhibent opportunitatem; dumque eas Nomiini Tuo
Honoratissimo inscribo, testes simul publice ut faciam, per-
mittas rogo, pietatis atque observantiae, quam cum sinceris-
simō omnigenæ prosperitatis voto, ad cineres usque mens
mea fovebit!

PATRONI OPTIME

eultor humillimus
JOHANNES SELANDER.

§. I.

Virtutem, quae quidem vere sit hoc digna nomine, non mero constare *proposito* aut etiam solo *studio* bene agendi (imbecillo sic & instabili, quia constanti exercitio & quasi pleno successu destituitur), nec una alterave *absolvi actione* officiis convenienter suscipienda; communi hominum judicio comprobatur (a). Non carrent quidem ista virtutis quasi initia, suo pretio; sed nequaquam rem absolvunt, aut adultum virtutis robur exhibent. Nemo contra non fatetur, *promititudini, constantiae & consuetudini* cuidam (*Habitum vulgo dicunt*) honeste officiisque & legi conformiter vitam degendi,

A

hanc

(a) BENE Vir Celeberrimus: Der Vorsatz rechtschaffen zu seyn, ist noch nicht Tugend, wenn es gleich ernstlicher Vorsatz ist. Gar oft stirbt diese Frucht des guten Gedankens, ehe sie zur Reife kommt. FEDER Lehrb. der Praktischen Philosophie II. Th. §. 44. Item: Nicht jedwede Neigung und Trieb zum guten, ist schon Tugend; nicht eine vorübergehende und abwechselnde, sondern stete mit fertiger Ausübung verknüpfte Neigung, macht den Menschen tugendhaft. Und völlige Tugend ist ein Trieb zu allen Arten rechtschaffener Handlungen. ib. §. 35.

hanc laudem in primis competere. Unde in subjugandis rationisque imperio subjiciendis propensionibus & motibus animi turpibus (ut hostibus officii honestatisque & verae felicitatis periculosisimis); in rationis dilectione praे phantasiæ atque cupiditatum impulsibus constanter sequendo; in via ambulanda, perniciiosis illis semitis, in quas libidinum & appetitionum impetus homines impellunt, contraria: Virtutis vim sese præcipue exserere, recte existimatur (b). Ad talem virtutis habitum quid pertineat, ac quomodo gigni & comparari is beat; curatius explicare, his pagellis constituimus. Quam operam, cum non nisi virium juvenilium experiendarum exercendarumque causa, atque ut specimen quoddam navatae qualiscunque in literis colendis industria, suscepimus; ut pro hoc consilio L.

B. pen-

(b) Cfr. SEARCH *Light of Nature*, Ch. 29. §. 1. Quare bene FEDER I. c. §. 35. Eugend ist die Stärke des Gemüthes, der Erkenntnis des Rechtes vor allen andern Bewegungsgründen zu folgen. Cum quibus amice concinunt Vererum definitiones. Sic PLUTARCHUS virtutem communī Philosophorum consensu censeri afferit Λόγον ὁμολογύμενον καὶ βέβαιον καὶ αἰσθάντιον (Rationem sibi consentientem, firmam atque inexpugnabilem), *De virtute moralı*, Opp. T. II. p. 441. (Ed. REISK. T. VII. p. 736); quæ alio loco Eadem audit Ἐξις βεβαιότητα καὶ πρότος ἔχοσα ἐπὶ τοῖς λόγοις αἰσθάντιον (Habitus, constantiam jam rationis & firmitatem inconcussam adeptus), Lib. *Quomodo quis suos in virtute paranda sentire possit profectus*. (Opp. T. II. p. 83, Ed. REISK. T. VI. p. 311).

B. penitare velit mitiorique censura stringere, enixe
rogamus.

S. II.

Solenne quidem est, nomen Virtutis (etiam ubi ab actionibus externis vanam tantum speciem ejus mentientibus distingvitur) interdum paullo pingviori sensu adhibere; ita, ut non modo illam quam modo indicavimus honestorum morum quasi radicem significet, sed etiam variis ejus propaginibus, surculis atque ramis, variis nempe actionum honestarum & egregiarum generibus, saepe tribuatur. Sed facile perspicitur, hanc significationem ab illa principali vere non dissentire. Cum enim de variis virtutibus loquimur, Prudentiamque a Pietate, Fortitudine, Justitia, Temperantia &c. distingvimus; ex uno tamen illo Habitus honesti fonte, ut virtutum verarum dignas nomine agnoscere queamus, omnes manare volumus (a). Actiones contra,

A 2

ex

(a) Hinc non modo Stoici, sed & multi alii Philosophi, olim docebant, Virtutem non nisi unam esse, ac *qui unam haberet, omnes habere virtutes*, ut CICERONIS utramur verbis, *de Off.* L. I. C. 10. Cfr. EJUSD. *de Finib. Bonor. & Malor.* L. V, C. 23; *Tusculan. Disput.* L. II, C. 13, & ad eum locum not. 5 DAVISH; LIPSII *Manud. ad Stoicam Philos.* L. III. Diff. IV; & GARVE ad Lib. I. CICERONIS *de Officiis* (Philos. Anmerkungen und Abhandlungen zu Ciceros Bücher von den Pflichten) p. 17-18, ubi inter alia rectissime pronuntiat: Die Vollkom-

ex alio qvocunque principio (præterquam ex illa quam laudavimus honesta atque præclara mentis conformatio[n]e) natas, ut constanti firmaque radice destitutas, quamprimum spuriam hanc earundem stirpem cognoscimus illa vel laude vel favore vel admiratione, adeoque venerabili illo virtutis nomine, dignas putare haud solemus (b). Diversos itaque illos ejusdem stirpis ramos,

menheit, das wahre gute, liegt nur im Menschen, in dem innern seiner geistigen Natur, in seinen Vorstellungen, seinen Neigungen. Die äußern Handlungen, können also nur insofern an Vollkommenheit Antheil nehmen, als sie Ausbrüche der Vortrefflichkeit der Seele sind. Jede Kraft drückt sich aus in ihren Wirkungen, so wie die Natur des Baums sich zeigt in den Früchten. Et porro: Es ist Wahrheit, daß das Wesen der Tugend mehr im Charakter des Menschen, der immer bleibt, als in seinen Handlungen, welche vorübergehende Veränderungen sind, gesucht werden müsse. &c.

(b) Non omnino sine fundamento HELVETIUS contendit, hominum de bonitate vel pravitate actionum judicia, ultimam suam rationem in earundem effectu habere, vel ad utilitatem vel ad noxam constanter tendere viso; licet nimis vase ille, pro more suo, nec intra debitos manens limites, rem persequatur. *De l'Esprit*, Disc. II, Ch. II, V, XI &c. Ctr. qui diligentius solidiusque, paucis licet, hujus rei veram aperit rationem, GARVE Anmerk. zu FERGUSONS Grunds. der Moralphilosophie p. 345 - 348. Idem tamen, deserto quodammodo hoc trahite, atque Stoicorum caussæ nimis favens, minus subtiliter de hoc arguento disputare videtur in præclaro alias libro Philos. Anmerk. und Abb. zu Ciceros Bü-

mos, quamvis minime a consideratione nostra exclusos velimus; ad primariam tamen illam atque universam

Chern von den Pflichten, p. 29 sqq. Facile patet, ubi actiones cæterum in se utilissimas, ex pravis motivis proficiuntur, ubi nostrum aut hominum in genere bonum non intendit, videmus; tali agentis indoli fidere nos non posse, (vel perpetuitatem illarum nobis promittere), adeoque nec hanc vere honestam æstimare, utpote ad nocendum nobis, ubi in alium situm homo pervenerit, æque propensam. E bono contra fonte, pro tali cognito, falubrem aquam semper præstolamus: ac ubi etiam obstaculum aliquando intervenerit, non desinimus tamen illum laudare, quod haud sua quasi culpa nobis minus prodit; quem videlicet obstaculo illo quandocunque remoto, mox nobis rursus profuturum scimus. Quare hæc ratio, sufficienter perspecta & explicata, virtutis honori nihil detrahit. Approbatio vel improbatio actionum ex fonte vel benefico vel periculo profluentium (particulari etiam earum indole interea quasi seposita), inde necessario oritur, quod in agente libero unius scatram quasi adjuvari, alterius obstrui, (non propter suam indolem absolute spectatam, sed propter riyulos quos agunt, & aquam quam fundunt), non possumus non cupere. Cæteris autem paribus, ac ubi non liquet a quali animo actio sit profecta, mirum non est, si illa tamen, propter suam vim, interim æstimatur. Quod vero ad circumstantias attinet externas, homines animi vel æque probi vel æque improbi diversa admodum vi excitantes, (sive opportunitatem ei præbentes) vel ad bonas vel ad malas suscipiendas actiones, unde vera ratio harum meritum æstimandi turbetur;

sam *Virtutis* notionem, quæ partes simul omnes atque diver-

observamus, 10 earundem harum circumstantiarum vim, ad bonam vel pravam in homine voluntatem atque adeo ipsam virtutem incitandam, alendam atque confirmandam, vehementer conferre; cuius efficientiæ, adeoque meriti quod ipsi tribui homini ubique debeat, gradus, non erit puto facillimum ubique definire. Cohæret hæc res cum implicatissima de libertate mentis humanæ doctrina. Cfr. GARVE ad Ferguson p. 289-298 & ad Cic. de Off. L. I. p. 303-326. 20 Si æque aestimamus virtutem, quæ feliciter exserendi sese caruit opportunitate, ac illam quæ uberem tulit humano generi fructum, (quamvis hominibus raro sane hujus arbitrii potestas contingit); hoc inde est, quod confidimus illam in situ æque favorabili positam, æque futuram fuisse nobis frugiferam: adeoque hic etiam ad fructus suos relatio obtinet. Ac sane nescio, virtuti ipsi quod pretium inter homines tribuendum foret, nisi ut effectrici perpetuæ salutarium actionum, adeoque generi humano (& nobis & aliis) tuto & constanter proficiæ? Aut qua trutina graduum ac specierum suarum pretium ultimo expendendum esset, nisi ex perspecta indole cujusque magis minusve beneficæ? Ac miror, viro acutissimo minus conveniens vilum, ut improbus qui in hoc mundo dives potensque fuit, adeoque opportunitatem habuit plus mali faciendi pluresque infelices reddendi, gravius puniatur; nam mihi quidem poena, ut remedium morborum moralium, nisi in eadem proportione augetur quo vis morbi major est (ad peccatum illecebra major), miro admodum adhiberi consilio videtur!

diversas ex communi fonte quasi dimanantes rivulos complectitur, in sequentibus mentem præcipue atten-demus. Hæc enim non ipsa tantum egregia sua for-ma placet animo, sed etiam scuturiginis instar semper ebullientis, honestas actiones jugiter fundit, & inter se & cum natura fineque hominis consentientes. Ad has itaque sparsim tantum atque quasi accidentaliter (ut Philosophi nostri loquuntur) edendas, tendere studium animi nostri minime debet; sed ut constanter apte atque colligate exerceantur, ipsam earum stirpem, suis innixam, radibus, in animo deponere, plantare, alere atque propagare summo studio debemus: quo Stoicorum olim de *officiis perfectis & mediis* doctrina spectavit (c), non omnino nullam cum Theologorum nostrorum de *operibus vere bonis*, non nisi ab hominibus *regenitis* (emendati ac sanati recte animi) efficiendis præceptione, habens similitudinem.

§. III.

Ut talis igitur enasci queat genuinus & firmus virtutis habitus, opus primum est, ut mens de officiis suis

(c) *Illi*us nempe generis officium (*καθηδωμα*) omni respectu *rectum* esse volebant, h. e. a vero fonte (animo emendato & virtutis vera vi acto) profluere, vere honesto consilio suscipi, &c.; *hujus* generis officia singula (*καθηκοντα*) ac quasi sparsa, extra illum cum omni reliqua vita nexus constantem spectata, externe quidem cum lege conveniebant, sed interna carebant rectitudine ac virtutis vera pulcritudine. Cfr. GARVE ad CIC. de Off. L. I., p. 18-24.

suis veras & debitas teneat notiones, sive ut instituta de
iisdem rite atque accurate fuerit. Necesse quidem
haud est, ut vasta quadam doctrina, atque subtili sive
Psychologiæ sive Jurisprudentiæ Naturalis atque Ethicæ
cognitione, homo quisque virtutis studiosus instrua-
tur (qualem notitiam theoreticam, cum stultitia in vi-
tæ degendæ more turpissima, sensu officii admodum
debili, ac vehementi contra cupiditatum dominio, haud
raro conjunctam esse, satis constat); sed nisi de vera &
optima agendi ratione animus edocitus probe solideque
fuerit, nisi hanc ad felicitatem viam esse unicam certis-
simamque didicerit & perspexerit, atque beatitudinem
in summa ex sensibus vitae universæ collecta positam
esse, non vero unius horæ, unius diei, mensis, anni
voluptate metiendam noverit (a), nisi veris motivis
(ut loqui vulgo solemus) impellatur atque in agendo
dirigatur: veræ indolis, firma fidaque virtute pollere,
existimari non debet. Quod quis machinae fere instar,
officio licet convenienter agit, quod ex consilio hone-
sto atque lucide cognita virtutis præstantia non profici-
scitur; id Virtutis vi nemo adscribit. Recte omnino vir
eruditissimus: Ein blinder Trieb, der ohne edle Absicht
wirkt, wäre nicht was wir Tugend nennen (b). Incerto
admodum atque instabili fundamento, virtus nitetur,
si rationis luce destituta, solis instinctibus ac sensu
quo-

(a) Cfr. SEARCH I. c. Ch. 28, §. 3, 4, 5; Ch. 29, §. 4, 5,
11, 12; Ch. 36, §. 2.

(b) FEDER I. c.

quodam cœco regeretur: quam sæpe fluctuaret, quam frequenter erraret, atque in devia ageretur! Talis igitur Virtus, (a casu quasi quodam pendens), ubi pro tali agnoscitur, neque eam approbationem, laudem & fidem hominum consequitur, quam vera illa, quæ certis & exploratis principiis innititur. Qui non nescit, voluntatem nostram nihil unquam vel appetere vel aversari, nisi ideis quibusdam dirigatur (c); facile

B

videt

(c) De motibus ac nisibus illis quibusdam plane physicis sive mechanicis, qui ex structura ac mechanismo corporis pendent, sermonem hic non esse; facile quisque videt. Sed tamen in hos quoque, si non directe, tamen indirecte, animum, adeoque idearum nostrarum indolem, non exiguum habere vim, latet neminem. Ac sæpe nimis tribui videntur vi corporis, & animi partes in actiones quasdam efficiendas ex eo fundamento nimis deprimi, quod illæ *distinctis* intellectus rationibus minus parent; sensus enim ex corporis sive externis sive internis ortus mutationibus, etiam *obscurus*, *ideam* tamen involvit, ad animum pertingit, ac ejus cooperationem & influxum, sæpe etiam tum patit, cum ex consensu nervorum ac mere mechanice actiones nostræ peragi primo intuitu videntur. Sensu affecta mens, immobilis manere nequit; agit igitur, licet motus suos certo consilio dirigere non nisi sensim discat. Quo ipso tamen curam corporis sapientem, etiam morali respectu minime negligendam ducimus; sed etiam in hanc imperium menti comparandum est. Cf. VILLAUME Allg. Theorie, wie gute Triebe erweckt werden müssen, C. III. (Allg. Revision des gesammten Schul-

* * 10 *

videt has, ubi obscuræ tantum aut confusæ manent, ubi exploratæ & rite perspectæ non sunt, neque voluntatem tuto sapienterque gubernare, aut vera hanc quasi via ducere valere. Quid vero? si etiam erroneæ sunt, fallaces atque perversæ? quis non videt, nisi iis emendatis, spem Virtutis veræ animo hominis inferendæ omnino nullam superesse? Ab ideis igitur nostris quasi lustrandis, atque luce cognitionis veræ ac salutaris accendenda, augenda, corroboranda, Virtutis instillandæ ratio plurimum pendet. Qui autem porro meminerit, universales justi ac honesti regulas, consensu generis humani (sapientioris certe ejus partis) adoptatas, nihil aliud esse nisi consecraria quædam generalia, collecta ex universi quasi humani generis consentiente experientia, atque communi indole naturæ humanæ, nemini vel tantilla diligentia eam consideranti non obvia; is facile reperiet, harum in primis regularum sive axiomatum accuratiorem cognitionem, eo magis necessarium esse fundamentum, virtutis habitui feliciter gignendo substernendum, quo apertius est, non nisi constanti in propensiones, cupiditates & affectus nostros constituto atque asserto *illis* imperio, homini ab *horum* fraude atque noxa caveri posse. Illas autem regulas non modo ipsas cognoscere, sed rationem quoque illarum & pæstantiam vivide cernere & quasi sentire, discant homines oportet: quo efficaciorem, certiorem &

con-

und Erziehungs-Wesens, — herausg. von J. H. Campe, IV. Theil, p. 7. sqq.)

* * * * *

constantiores in vitam illae vim exerceant, atque
ubi reliquarum idearum notionumque dominantium
systema sibi associaverint sensimque subjecerint, actionum
tenorem firmiter determinent. Sine *Prudentia* vi-
tae, quomodo reliquae verae virtutes vel intelligi pote-
runt? Quomodo integræ firmæque diu manere? Illa
autem, nisi intellectus collustratus cognitionis luce suf-
ficiente fuerit, quomodo locum habebit? Minime qui-
dem contendimus, actiones hominis, Intellectus atque
Rationis vi sola, vulgo dirigi; fatemur, easdem a pro-
pensionibus, & sensim adscitis habitibus variis, sensibus
obscuris, &c. vehementer pendere: sed simul tamen
constare putamus, ab ideis lucidis, & de felicitatis no-
stræ viæque ad eam ducentis vera indole mentem ple-
ne instruentibus, multum adjumenti ad pravas cupiditi-
ates, noxiasque illecebras debellandas atque frangen-
gas, suppeditari, mentemque ad viam virtutis aerius
constantiusque ingrediendam ambulandamque excitari,
corroborari & armari: cui rationi quo studiosius quis
insistit, eo a brutorum animantium conditione discedit
longius & hominis dignitatem propius attingit (d).

B 2

Quare

(d) CICERO *de Offic*, L. I, C. 4, præclare hanc rationem
explicat, dicens: *Sed inter hominem & beluam hoc ma-*
xime interest, quod hæc tantum quantum sensu movetur,
ad id solum quod adest quodque præsens est, se accommo-
dat, paulum admodum sentiens præteritum aut futurum.
Homo autem, quod rationis est particeps, per quam con-
sequentia cernit, causas rerum videt, earumque progres-

Quare simul intelligitur, virtutes quæ in barbaris, atque ignorantiae caligine oppressis laudari populis solent, plerumque verarum virtutum nomine dignas haud esse; apud quos quia nostra *vitia* non conspicuntur ac vigent, *virtutem* dominari, nimis præcipianter concluditur (e).

sus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque præsentibus adjungit atque adnectit futuras; facile totius vitæ cursum videt, ad eamque degendam præparat res necessarias. Hinc regulas vitæ atque generalia sibi formare ejus recte feliciterque degendæ axiomata, homo potest, rationique eam regendam subjicere; atque sic ad virtutem contendere. Quo scitum etiam ALEMBERTI dictum pertinet, Morum scientiam præcipue differentiar illi inniti, quæ inter belluam obtinet atque hominem.

(e) Unde celebre etiam illud JUSTINI de Scythis Græcisque judicium (*Hist. L. II, C. 2.*), non sine cautione probare licet. Verba ejus sunt: *Prorsus ut videatur, hoc illis (Scythis) naturam dare, quod Græci longa sapientium doctrina, præceptisque philosophorum consequi nequeant; cultosque mores incultæ barbarie collatione superari.* Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis.